

*Quaeres 2. Quomodo dividitur virtus?*

*Resp.* Dividitur in *intellectuales*, *moraes*, et *theologicas*.

*Virtutes intellectuales*, sunt eae quae perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri. Sunt quinque, scilicet, *intelligentia*, *sapientia*, *scientia*, *prudentia* et *ars*. *Moraes*, sunt eae quae perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, cuiuscumque sit generis. Quatuor sunt *praecipuae*, ideo dicuntur *Cardinales*; *nimirum*, *prudentia*, *fortitudo*, *temperantia*, et *justitia*.

*Theologicae*, sunt eae, quae circa Deum immediate versantur. Sunt tres, nempe, *fides*, *spes*, et *charitas*.

*Quaeres 3. Quotuplex sit medium virtutis?*

*Resp.* *Duplex*, scilicet, *medium rei*, quod ita est ex natura rei determinatum, et fixum, ut sit semper unum et indivisible, nec varietur pro loco, tempore, et persona. *Medium rationis*, est illud quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore, et persona, juxta prudentis aestimationem, quare *ratione definitur*.

*Quaeres 4. Utrum sint aliquae virtutes quae non consistant in medio?*

*Resp.* Virtutes theologicae et intellectuales non consistunt in medio per se et ex parte objecti, quia contra eas non potest peccari per excessum; sed per accidentem et ratione subjecti requirunt aliquid medium, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cuiuslibet naturam, genium, et conditionem.

*Quaeres 5 Quaenam virtutes consistant in medio?*

*Resp.* Virtutes morales, cum hoc discriminere, quod justitia consistat in medio rei, caeterae in medio rationis: ratio est quia contra eas peccari potest per excessum, et per defectum.

*Quaeres 6. Quotuplici modo spectari potest virtus moralis?*

*Resp.* Spectari potest, 1. in *statu perfecto*, et ea est quae tam perfecte possidetur, ut omnibus contrariis fa-

cile possit resistere. In *statu imperfecto*, et est ea quae non est ita obfirmata, ut habeat plenam rationem habitus difficile mobilis, sed simplicis tantum dispositio-nis, quae inclinat quidem subjectum ad bene operan-dum, sed non adeo fortiter, ut omnem difficultatem vincere possit.

*Quaeres 7. Utrum virtutes morales necessario sint inter se connexae?*

*Resp.* 1. Non sunt, si spectentur in *statu imperfecto*; nam experientia constat multos esse promptos ad opera misericordiae, qui non sunt prompti ad opera ca-stitatis.

*Resp.* 2. Sunt, si considerentur in *statu perfecto*, quia virtus in *statu perfecto* efficit, ut quis lubenter et sine mora operetur in propria illius virtutis materia; at nemo, qui vel una virtute destitutus fuerit, sic se gerit, ut patet in muliere casta, sed avara, aut meti-culosa; si enim ingens illi offeratur pecuniae quantitas, aut minae mortis ei intententur, haud difficile patietur castitatis detrimentum.

### TRACTATUS XIII.

#### DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

*Nota.* Cum sint tres virtutes Theologicae, tres similiter hujus Tractatus erunt Dissertationes.

## DISSERTATIO I.

*De Fide.*

**Quaeres 1.** *Quid sit fides?*

*Resp.* Definitur ab Apost. Hebr. 11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

*Dicitur 1.* *Substantia*, id est, basis et fundamentum spei nostrae.

*Dicitur 2.* *Rerum sperandarum*; quia Deus, quem speramus, est praecipuum fidei objectum, ad quod cetera revelata reducuntur.

*Dicitur 3.* *Argumentum*; id est, convictio. Verum illa definitio non est essentialis, sed descriptiva tantum; unde alia magis evoluta traditur a Theologis; dempe

*Fides est, virtus Theologica, divinitus infusa, quae firmiter assentimur iis quae a Deo revelata sunt, propter auctoritatem revelantis.*

**Quaeres 2.** *Quomodo dividitur fides?*

*Resp.* Dividitur in actualem et habitualem; in explicitam et implicitam; in vivam et mortuam; in formam et informem.

*Fides actualis*, est actus, quo intellectus, ex imperio voluntatis per gratiam excitatae, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis. *Habitualis* vero, est habitus nobis a Deo infusus, actuum fidei elicitivus cum auxilio gratiae actualis.

*Fides explicata*, est ea, qua alicui speciali et determinato fidei articulo assentimur: puta Trinitati personarum. *Implicita* vero, est ea, qua generatim omnibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, assentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum.

*Fides viva*, est ea, quam observatio mandatorum committatur, seu, *quae per charitatem operatur*, ut ait Apost. Galat. 5. *Mortua* vero, est ea, quam mandatorum observatio non committatur, Jacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.*

*Fides formata*, est ea, quae in homine adjunctam habet charitatem, qua, tanquam extrinseca sui forma, perficitur. *Informis* vero, est ea, quae charitate destituta manet.

*De fidei objecto*, proprietatibus, actibus, et virtutis ipsi oppositis nobis est agendum.

*§ I. De objecto fidei.*

**Quaeres 1.** *Quoniam sit objectum materiale fidei?*

*Resp.* Objectum materiale adaequatum, sunt res omnes quae a Deo revelatae sunt, ita tamen ut Deus sit objectum *primarium*, caetera vero revelata sint objectum *secundarium*.

**Quaeres 2.** *Quomodo dividitur objectum materiale fidei?*

*Resp.* Dividitur in articulos, et puncta fidei. *Articulus fidei* definitur, *propositio Catholica habens rationem principii in fide, specialem que ab aliis articulis ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda.* Econtra, *punctum fidei*, est veritas secundaria, cuius fides implicita sufficit ad salutem.

**Quaeres 3.** *Utrum articuli fidei successu temporis creverint?*

*Resp.* Non creverunt secundum substantiam, quia Ecclesiae non fit nova revelatio, omnia enim credenda, Apostolis revelata sunt, juxta illud Christi, Joann. 15. *Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et cap. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

*Dixi, Secundum substantiam; quia certum est quod*

creverint quoad majorem expicationem: Ecclesia enim, occasione insurgentium haeresum, varias propositiones definit, expliciteque credendas fidelibus exhibuit, quae in Scriptura aut traditione implice tantum et quoad substantiam continebantur.

Quaeres 4. *Ub' nam continentur praecipui articuli fidei?*

*Resp.* In Symbolo, quod definitur: *Summa quorundam praecipuorum fidei articulorum, omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, distinguens illos ab infidelibus.*

Quaeres 5. *Quotuplex est fidei Symbolum?*

*Resp.* Triplex, scilicet, *Apostolicum*, quod ab Apostolis conditum a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur. *Nicaenum*, quod in Conc. Nicaeno I. contra impietatem Arii, divinitatem Filii negantis, conditum est, et in Conc. Constantinop. I. auctum, contra impietatem Macedonii, negantis divinitatem Spiritus Sancti: unde quandoque vocatur, *Nicaeno-Constantinopolitanum*. Tandem Symbolum, *Athanasianum*, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse*, quod est receptum ab Ecclesia, que sua auctoritate sancvit illud esse legendum in Officio divino.

Quaeres 6. *Quodnam est objectum formale fidei?*

*Resp.* Est prima veritas in dicendo, seu est revelatio Dei summe veracis; quia est motivum immediatum, propter quod assentimur veritatibus a Deo revelatis: non enim assentimur Deo loquenti, nisi quia verax est, nec nos fallere potest: ex quo

*Sequitur* 1. *Quod omnia objecta fidei supernaturalis, cujuscumque conditionis illa sint, aequae pertineant ad fidem, quia aequae participant rationem formalem, seu motivum fidei nostrae supernaturalis, nempe divinam veritatem revelantem, quae una est et eadem, sicut unus est Deus, et ipsa eodem modo applicatur singulis veritatibus fidei.... Ergo errant haeretici,*

docendo esse aliquos articulos fidei.... non fundamentales, quibus, non obstante Ecclesiae definitione cognita, liberum est dissentire absque salutis dispendio, et disruptione unitatis catholicae fidei.

*Sequitur* 2. Eum totam fidem amittere, qui unicum, vel minimum fidei articulum rejicit; quia fides est indivisibilis, cum, licet plures veritates credit, illas tamem credit sub uno atque indivisibili motivo, scilicet Dei veritate in revelando. Unde D. Thom. q. 5. art. 3. ait: *Manifestum est, quod talis haereticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis.*

### §. II. De proprietatibus fidei.

*Nota.* Quatuor recenseri possunt proprietates fidei, nempe supernaturalis, certitudo, obscuritas, et credibilitas.

Quaeres 1. *Utrum actus fidei sit supernaturalis?*

*Resp. affirm.* Nam 1. ejus motivum (nempe divina revelatio), est supernaturale. 2. Ejus principium productivum est supernaturale, est enim auxilium gratiae, Joann. 6: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum. Ergo, &c.*

*Objicies.* Assensus fidei est actus potentiarum naturalium: ergo est naturalis.

*Resp. Dist. ant.* Est actus potentiarum naturalium cum auxilio gratiae et ex motivo supernaturali operantium, *conc.* naturaliter operantium, *nego*. Porro, ut actus sit supernaturalis, sufficit ut unum ex ejus principiis omnino sit supernaturale, licet aliud sit naturale.

Quaeres 2. *Utrum assensus fidei sit certior quolibet assensu scientifico?*

*Resp.* Est simpliciter et absolute. Nam certitudo formalis desumitur a suo motivo, eni est proportionata; atqui divina revelatio, quae est motivum assensus fidei,

certitudine longe superat lumen naturale rationis, quod est motivum cuiuscumque assensus scientifici; ergo, &c. Hinc Div. Thom. 2. 2. q. 4. art. 8. ad 2. ait: *Multo magis homo certior est de eo quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione quo falli potest.*

*Quaeres 3. Utrum fides debeat esse obscura?*

*Resp.* Debet esse obscura ex parte rei revelatae, hoc est, non debet clare et evidenter ostendere rem revelatam prout est ia se a parte rei. Nam ex Apost. *Fides est argumentum non apparentium*, id est, res quae creditur per fidem, non videntur, saltem per motivum quo cognoscuntur, scilicet per revelationem.

*Quaeres 4. Utrum quod evidenter scitur aut videtur, possit esse objectum fiduciæ?*

*Resp. affirm.* Nam ex Hebr. 11. *Accidentem ad Deum oportet credere quia est.* Et in Symbolo credimus unum *Deum Patrem omnipotentem*; atqui existentia, unitas, et omnipotencia Dei demonstrantur a Theologis et Philosophis; ergo.

*Objicies.* Fides est argumentum non apparentium; ergo.

*Resp. Dist.* Est argumentum non apparentium, per motivum cognoscendi, quod est revelatio divina, *conc.* per discursum, *subdist.* ut plurimum, *conc.* semper, *nego.* Alias sibi contradiceret Apost. cum doceat debere credi Dei existentiam, quam, Rom. 1. docet abstractive cognosci *per ea quae facta sunt.*

*Quaeres 5. Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia?*

*Resp. affirm.* Nam probantur argumentis, seu motivis evidenter et irrefragabilibus; ergo, &c. Quare Clerus Gallic. ann. 1700. sequentem damnavit prop. *Evidens non est, evidentia morali proprie dicta et physica, religionem catholicam esse veram.*

*Quaeres 6. Quot sint motiva credibilitatis?*

*Resp.* Octo numerantur, 1. Sanctitas Christi auctoris fidei nostræ. 2. Sanctitas doctrinæ quam tradit religio christiana. 3. Stupendus modus quo doctrina christiana propagata est. 4. Admiranda totius fere orbis ad Christum conversio. 5. Inicta et nunquam interrupta religionis perseverantia inter tot persecutio-nes, quibus fuit agitata. 6. Sanguis fusus Martyrum. 7. Vaticinia, non solum Prophetarum, sed et Sybillarum. 8. Tandem innumera miracula quae a viris sanctissimis in verae fidei confirmationem edita fuerunt.

### §. III. De necessitate fidei.

*Quaeres 1. Quotuplex sit actus fidei?*

*Resp.* Duplex, nempe, internus, qui est, *firmus mensis assensus veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, propter summam Dei veritatem in dicendo.* Et actus externus, qui est *exterior fidei professio, ore, vel opere, vel quolibet alio signo facta.*

*Quaeres 2. Utrum actus internus fidei fuerit semper necessarius necessitate medii ad salutem?*

*Resp.* Fuit omnibus adultis: nam ex Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et Trid. sess. 6. cap. 7. *Sine fide nulli unquam contigit justificatio.*

*Quaeres 3. Quaenam sint necessitate medii credenda explicite?*

*Resp.* 1. Omni tempore fuit necessaria necessitate medii fides explicita Dei existentis, et Dei remuneratoris: *Accidentem enim ad Deum*, inquit Apost. Hebr. 11. *Oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* ideo haec prop. *Non nisi fides unius Dei necessaria est, non autem explicita remuneratoris, damnata est ab Innoc. XI. et Clero Gallic. an. 1700.*

*Resp.* 2. Post Evangelii promulgationem insuper necessaria est necessitate medii fides explicita. 1. Incarnationis, juxta illud Joann. 17. *Haec est vita aeterna,*

*ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* 2. SS. Trinitatis, nam mysterium Incarnationis explicite credi non potest, sine fide explicita Trinitatis: nec proinde absolutionis capaces sunt qui illa mysteria ignorant, ut definivit Innoc. XI.

Quaeres 4. *Quaenam christiani credere et scire teneantur vi paecepti?*

Resp. Tenentur credere et scire, 1. ea quae necessaria sunt necessitate medii. 2. Quae continentur in Symbolo. 3. Sacraenta quae tenentur et volunt recipere. 4. Praecepta Dei et Ecclesiae. 5. Orationem Dominicam, quae prescripta est a Christo, Matth. 6. *Sic orabitis: Pater noster, &c.*

Quaeres 5. *Quosnam et quandonam actus fidei obliget?*

Resp. 1. Obligat per se, 1. Infideles et haereticos, cum eis sufficienter fides est proposita. 2. Filios infidelium, ubi primum sunt sufficienter instructi. 3. Eos qui sunt in probabili mortis periculo. 4. Eos qui in haeresim lapsi sunt. 5. Eos qui gravem, contra fidem, tentationem experuntur.

Resp. 2. Obligat per accidens, 1. Dum nos ad justificationem praeparamus. 2. Dum ad aliquod Sacramentum, maxime Eucharistiae, accedimus. 3. Dum occurrit occasio fidem externe profitendi. 4. Dum praecepit anni festa celebrantur, quia ex Aug. Enchiridii 3. *Fide, spe, et charitate, Deus est colendus.*

Quaeres 6. *An teneamus aliquando exterius fidem profiteri?*

Resp. affirm. Nam Rom. 10. dicit Apost. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

Quaeres 7. *Quandonam obligat praeceptum exterius profitendi fidem?*

Resp. Obligat 1. cum id exigit honor Deo debitus; 2. cum utilitas proximi id postulat, ita D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2.

Quaeres 8. *Utrum aliquando liceat fidem exterius negare, sive ex animo, sive ex simulatione?*

Resp. 1. Fidem exterius negare nullo unquam casu licitum est: *Qui negaverit me coram hominibus, ait Christus, Matth. 10. Negabo et ego eum coram Patre meo.*

Resp. Nunquam licet fidem exterius negare ex simulatione, quia esset mendacium detestabile, utpote Dei maxime inhonoriatum; ergo nullo unquam casu, etiam mortis acerbissimae, potest esse licitum: unde Christus ait: *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc et filius hominis erubescet.*

#### §. IV. De vitiis fidei oppositis.

Quaeres 1. *Quot sint vicia fidei opposita?*

Resp. Sunt duo; *infidelitas*, quae actui interno fidei, et *blasphemia*, quae fidei professioni opponuntur.

Quaeres 2. *Quid sit infidelitas?*

Resp. Est, *carentia fidei in subiecto apto*.

Quaeres 3. *Quotuplex est infidelitas?*

Resp. Triplex, nempe, 1. *Pure negativa*, quae est carentia fidei in eo cui fides nullo modo est annuntiata: haec, cum non sit voluntaria, nec in se, nec in alio, non est peccatum, ut definierunt SS. Pontifices Pius V. et Greg. XIII. contra Bajum. 2. *Privativa*, quae est carentia fidei in eo cui fides sufficienter est annuntiata, qui tamen omittit credere: haec est peccatum mortale ex genere suo, quia omittit credere cum possit et debeat. 3. *Positiva*, quae est carentia fidei in eo qui veritatem fidei sufficienter propositam negat, vel errorem fidei contrarium asserit.

Quaeres 4. *Quid sit haeresis?*

Resp. Est, error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei catholicae veritatem in eo qui se christianum profitetur.

Quaeres 5. *Quid sit blasphemia?*

*Resp.* Est contumeliosa in Deum locutio, sive immediate in se, sive mediate in creaturis, quatenus in eis aliquod Dei attributum relucet, ut sunt sancti, coelum, &c.

Quaeres 6. *Quale sit peccatum blasphemia?*

*Resp.* Est per se peccatum mortale, nec ullam admittit parvitatem materiae: quia majestatem Dei positive deprimit; ergo gravem Deo infert injuriam.

## DISSERTATIO II.

### De spe theologica.

Quaeres 1. *Quid sit spes?*

*Resp.* Est, virtus theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem aeternam, et media illius consequenda a Deo expectamus: Alia est habitualis, alia actualis; alia formata, alia informis. Vide quae de similibus fidei divisionibus dicta sunt dissertatione 1. *Tom. II.*

Quaeres 2. *Quotuplex est objectum spei?*

*Resp.* Duplex: materiale et formale. *Materiale*, est res quae speratur. *Formale*, est motivum propter quod speratur.

Quaeres 3. *Quodnam est objectum materiale spei?*

*Resp.* Objectum materiale primarium, est Deus possidendum: quia Deus possidendum primario et per se a spe expectatur, et caetera media salutis non nisi propter Deum possidendum expectantur. *Secundarium* vero sunt omnia media ad Deum possidendum necessaria, quia eodem actu, quo finis efficaciter appetitur, media etiam, saltem implicite, appetuntur.

Quaeres 4. *Quodnam sit objectum formale quod spei?*

*Resp.* Objectum formale quod spei, *spectatae prout est amor nostrae beatitudinis*, est bonitas Dei relative ad nos, quia illa bonitas est id quo movemur et excitamur ad amandum Deum amore spei: sperans enim

amat Deum, quatenus est suum bonum, finisque suus ultimus. *Spectata vero ut est tendentia in beatitudinem*, est omnipotentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Christi promissa, quia est id quo movemur et excitamur ad Deum, ut sumnum nostrum bonum, certa cum fiducia expectandum: ita D. Thom.

Quaeres 5. *In quibus spes non reperitur?*

*Resp.* 1. *Non reperitur in damnatis*, Prov. 8. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes:* sunt enim certi de sua aeterna damnatione. 2. *Non est in bonis*, quia gloriam essentialiem possident; *spes autem quae videtur non est spes*, Rom. 8. 3. *Non est in haereticis*, quia non habent fidem, quae est fundamentum spei.

Quaeres 6. *In quibus spes reperitur?*

*Resp.* Reperitur 1. *In animabus Purgatorii*, quia in eis remanet fides, quae est fundamentum spei. 1. *Remanet in catholicis impiis*; quia quolibet peccatum non opponitur spei, sed sola desperatio.

Quaeres 7. *Utrum spes locum habeat in justis perfecta charitate praeditis?*

*Resp. affirm.* Ut contra Quietistas definivit Innoc. XI. et contra Semi-quietistas Innoc. XII. nam 1. perfectissimus quisque tenetur recitare orationem dominicam et Deo dicere: *Adveniat regnum tuum*. 2. In quolibet, etiam perfectissimo, est fiducialis expectatio possidendi Deum; sic Moyses, Hebr. 11. *Aspiciebat in remunerationem*. David de se ipso dicit: *Inclinavi cor meum ad facientes justificationes tuas in aeternum propter retributionem*. Div. Paulus de aeterna beatitudine loquens. Rom. 8. ait: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*. 3. Omnibus justis, vita aeterna, tanquam merces, proponi debet, ut definit Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. de ref.

*Objicies.* In actu spei reperitur proprium interesse creature; ergo repugnat statui justorum perfectorum.

*Resp. Dist. ant.* Reperitur proprium interesse crea-

turae, quod ad Dei gloriam ultimo referatur, *conc.* quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, *nego*.

*Instab.* Homo per actum spei, Deum ad se refert; ergo actus spei est vitiosus, proindeque repugnat statui perfectorum.

*Resp.* *Dist. ant.* Deum ad se refert, ut ad objectum cui possessionem Dei optat, *conc.* ut ad finem ultimum, *nego*. Homo enim, dum Deo frui desiderat, refert se ad Deum, ut ad finem suum ultimum, quo obtento, nihil amplius desiderat.

Quaeres 8. *Utrum spes sit certa?*

*Resp.* Est certa ex parte Dei, Eccli. 1. *Scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Sed est incerta ex parte nostri, quia pendet ex conditione custodiae mandatorum Dei usque in finem, de qua certi esse non possumus, absque speciali Dei revelatione: unde Apost. Philipp. 2. monet: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

Quaeres 9. *Utrum actus spei sit necessarius necessitate medi ad salutem?*

*Res affirm.* Nam, Rom. 8. dicitur: *Spe salvi facti sumus.* Hinc Conc. Trid. inter actus ad justificationem adulorum simpliciter praerequisitos, actum spei recenset.

Quaeres 10. *Utrum actus spei sit necessarius necessitate preecepti divini?*

*Resp. affirm.* Nam 1. ad Tim. 6. *Divitibus hujus saeculi preecipi....neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Hinc Alex. VII. et Clerus Gallic. an. 1700. haec prop. dammarunt: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi preeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quaeres 11. *Quaenam peccata sint spei opposita?*

*Resp.* Duo, nempe, *desperatio*, quae est, *voluntaria diffidentia assequendi beatitudinem, et obtainendi media*

*ad illam assequendam necessaria.* Et *praesumptio*, quae est, *temeraria beatitudinis, et mediorum ad eam assequendam necessariorum, expectatio.* Potest autem oriri, aut ex haeretica opinione, vel Pelagianorum, docentium quod per solas naturae vires vitam aeternam promeri possimus; vel Lutheranorum, asserentium quod fide sola sine operibus justificemur et salvemur. Aut ex desidia malorum Christianorum, qui inani spe misericordiae Dei peccant, vel poenitentiam ad finem vitae diffrerunt.

### DISSERTATIO III.

#### *De Charitate.*

Quaeres 1. *Quid sit Charitas?*

*Resp.* Est, *virtus theologica infusa, qua Deum super omnia diligimus propter se, et proximum sicut nos propter Deum....* Dicitur 1. *Super omnia*, non quidem intensive, ita ut voluntas summo ardore et conatu in Deum tendat: sed *appreciative*, ita ut homo Deum rebus omnibus anteponat.... Dicitur 2. *Et proximum*, quo nomine intelligitur, quicumque nobiscum capax est gratiae et gloriae.... Dicitur 3. *Propter Deum*, ita ut Deus in proximo ametur.

Ergo objectum *materiale* charitatis adaequatum, est Deus, nos ipsi, et proximus: objectum vero *formale*, est bonitas et amabilitas Dei, quia est motivum propter quod charitas tendit in objectum suum *materiale*.

Agemus 1. *De preecepto et ordine charitatis.* 2. *De officiis ejus.* 3. *De vitiis charitati oppositis.*

#### *§. I. De preecepto et ordine charitatis.*

Quaeres 1. *Utrum preeceptum charitatis erga Deum sit speciale, et ab aliis distinctum?*

*Resp.* Est speciale; nam 1. *Deuter.* 6. traditur seorsim. II.